



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Compendium Privilegiorum, Et Gratiarum Societatis Jesu

Pragae, Anno M.DCC.III.


VD18 13723553

Familiares.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65423](#)

que aliis Personis, intrà, vel extra septa in mortis articulo constitutis. Habetur per Bullam PII V. dat. Idibus Februarii 1567. Incipit: *Ad immarcescibilem, est 31. in Bull. comm. in n. 17.*

Vide verbo *Familiares*; & verbo *Sacramenta*.



FAMILIARES.

§. I.

Quibus Nostri ministrare possint Sacramenta.



Ostulmus administrare omnia Sacra-
menta iis omnibus, qui in Nostris morantur obse-
quiis, eosque in Nostris Cœ-
meteriis sepelire. Paulus III. pag. 11.
Et per concessionem Martini V. pro Be-
neditinis. Habetur per Bullam, non au-
thenticatam, ut in Comp. Min. V. Famili-
lares n. 10.

*Præter Confessionis & Eucharistia Sacra-
menta, familiaribus Extrema unctio pos-
terit administrari, atque adeo iis solis, qui
in Domibus, Collegiis, Residentiis, & ali-
is locis Societatis habitaverint. Id etiam
de sepultura intelligatur. Extra septa ve-
rò cum*

rò cum illis perinde , atque cum aliis agatur,
prout habetur verbo Sacra menta.

§. 2.

*Nostris famulis, etiam Paschatis tempo-
re, omnia Sacra menta ministranda.*

Possunt Nostris famulis nostrarum Do-
morum ac Collegiorum in habitu secu-
lari deservientibus , quoties opus fuerit ,
etiam Paschatis tempore , & in mortis ar-
ticulo , in Nostris Domibus , Collegiis , &
Ecclesiis , Eucharistiae & Extremae Uncti-
onis Sacra menta ministrare : & sepulturae
beneficium , cuiusvis licentia super hoc mi-
nimè requisita , impendere . Habetur per
Bullam Cælestini V. datam 5. Kal. Oct.
A. 1. Incipit : *Etsi cunctos Ordines. &*
Greg. XI. pro Dominicanis per Bullam ,
dat. 2. nonas Martii A. 4. Incipit : Virtute
conspicuos . est 7. in Bull. comm. in n. 10.
& Leonis X. per Bullam , datam Nonis
Julii 1510. Incipit : His, que pro fidelium:
est 41. in Bull.. Regul.

Hac facultas conceditur Superioribus , &
quibus ipsi eam communicaverint.

§. 3.

Nostris famuli possunt absolviri à Nostris
à quibuscumque, homicidio voluntario
excepto.

Famuli & servitores Nostris possunt e-
ligere Confessorem de Societate , qui au-
dits

ditâ eorum Confessione, pœnitentiam salutarem eis injungendo, absolvat eosdem ab omnibus criminibus, excessibus, & censuris Ecclesiasticis; & dispenset cum eis in omnibus irregularitatibus, si quas forte contraxerint (homicidio voluntario, & mutilatione membra semper exceptis) & eis remissionem generalem, & plenariam omnium peccatorum imperfiri valeat: & hoc idem possit in articulo mortis. Sixtus Minor. Vivæ vocis oraculo, ut in Monum. eorum fol. 68. concess. 131.

Per hoc tamen non conceditur Nostris, in casibus Bullæ Cœnæ se immiscere. Et quod attinet ad facultatem dispensandi in irregularitatibus, electus ex Nostris eâ non utatur, nisi fuerit Superior, aut de Superioris licentia, idque in foro conscientiæ tantum.

§. 4.

Qui sunt in servitio Societatis, consequuntur plenariam indulgentiam.

Omnes qui sunt in servitio Societatis, consequuntur indulgentiam plenariam in morte, & semel in vita de reservatis. Concessit Sixtus IV. Minor. V. V. O. non authenticato; ut in Bull. Regul. inter Orac. Sixti IV. n. 2.

§. 5.

Dum

*Dum sunt in Nostra domo, non possunt
excommunicari.*

Per Privilegium Alexandri IV. concessum Fratribus Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, nemo, sive speciali mandato Romani Pontificis, servientes Societati, etiam laicos, donec in servitio Domus fuerint, excommunicationi vel interdicto potest subjicere: & aliter lata, irrita est sententia & inanis. Refertur in Comp. Minor verbo *Familiares*. §. 11

Advertatur tamen ad id, quod habetur in Concilio Trident. sess. 7. cap. 14. de Refrm. Et sess. 14. cap. 4. Et 5. de Refor. Et sess. 24. cap. 10. Et 11. de Reform. Item advertatur, quod in casibus, in quibus privilegia Nostra Nobis non inserviunt, privilegium §. istius circa eosdem casus nostris familiaribus nil proderit.

Vide verbo *Interdictum*. §. 2. & 4. cum admonitione, quae ibi habetur in fine ejusdem verbi. Vide etiam quod habetur verbo *Conservator*. §. 1. & verbo *Dispensatio* pag. 6.

FESTIVITAS.

§. I.

*Facultas dicendi Officium & Missam
de B. Aloystio.*

Offici-